F.IX

8£7

16/6
£5.5-0

28,683/A/1

S
26/1/99

BIBLIOTHECA
HEBERIANA
20, a 4458

L

Bibl Osleriana 4923

Frankfort ? 1713 ?

ORATIUNCULA PANEGYRICA,

SEU

LAUS

GONORRHOEAE.

AUCTORE

LULLIO HILARIO,

MEDICINAE DOCTORE.

HAGANOPOLI,

Anno à felici Gonorrhoeæ adventu in Europam

CCXIX.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LUCRETIUS

Lib: 2. de Natura rerum.

*Sed non tam facilis res ulla'ſt, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum conſtet. Itemque
Nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.*

OVIDIUS

Lib: 3. de Triſtibus.

*Vix equidem credar, ſed cum ſint præmia falſi
Nulla, ratam debet teſtis habere fidem.*

NOBILISSIMO, FORTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO HEROI

D. D.

GUSTAVO AMARA

DE POENITENDO,

Veneris, Bacchi caſtra ſequentium nepotulorum quondam

DICTATORI,

Nunc vero ob præclara in utrumque Numen merita,

Et patrata egregia facinora,

DUCI EMERITO.

&c. &c. &c.

Mirabere forſan, vir excellentiſſime dicam, an paupertime? me oratiunculam hanc nullo lepore, venuſtate, gratiave repletam tibi ſacram feciſſe,

ciſſe, ſolent enim plerumque omnes, qui libellos magnatibus, heroibuſque dicant, grande aliquod opus, & eruditione ſcatens offerre, ſed ante omnia ſpurciſſimum ambire lucrum: ſed abſit à nobis tam inorme flagitium, abſit, inquam, longiſſime tam execranda argenti ſitis, ſcimus enim, ſobrie virtutum magiſter, te omne peculium in honorem Divæ Veneris dilapidaſſe, ſcimus itidem nil habentem nil donaturum, meque nil petentem nil accepturum.

Neque me latet te ob vacuitatem loculorum, per triduum ſæpius in ventre ſpatium imaginarium oſtentare ſolitum, ita ut toto illo temporis curſu neque mingere, neque caccare tibi fuerit opus. Mage

Mage tamen mirandum opinor te Chamaeleontis ad inſtar viventem, & creditorum rationibus nocte dieque ſudantem, adeo ut corpori tam cibi quam potus refocillatio omnino neceſſaria videretur, pallidum oris colorem, & fortem animum non demiſiſſe, ſed & diuturnam tuam Gonorrhoeam integram ſervaſſe atque incolumem.

Nil eſt, quod conſtantia ſibi & obdurata utraque ſorte movere valet pectora: cladibus & infortuniis frangi femineum eſt, flecti parumper maſculum, ſed nullatenus tangi, & tibi, & Divis, & maximis heroibus proprium eſt.

Licet enim, uti retuli, inedia rerumque inopia te more

majorum ad mortem promovere minitarentur, nunquam tibi in animo fuit ad montem miſericordiæ vili more Longobardorum confugere, ut ad vitam ſuſtentandam, excellentem Gonorrhoeam cum nummis permutares, verum maluiſſes pariter cum illaglorioſe & maſcule interire, & Ajacis ad inſtar illius Thelamonii proprio gladio ſuccumbere, ut Guſtavum a nemine niſi a Guſtavo victum canerent vates.

O! ſtupendum conſtantiæ exemplum & inſigne monumentum ſobrietatis, quale, puto, ſimile non protulit aureæ antiquitatis Saturnia aetas, ac faſtis inſertum mirabuntur, & vix credent ventura poſteritas.

Aſpi-

Aſpice, vir excellentiſſime, clientis tui animi ardorem, & fatebere me foetum hunc tibi non devoviſſe lucri de cauſa, ſed vel ſpeciem abeſſe tam foedi criminis.

Itaque non aurea, non argentea, ſed longe gravior me ratio impulit, ſcilicet dignitas veſtra, & ut captem tuum favorem, quem omnibus Pactoli aureis arenis, divitiſque Orientis gazis pretioſiorem æternum ſum habiturus.

Altera, quæ me cogit ratio, virtus eſt veſtra, & longa rerum experientia, quis enim te non veneraretur, ſtrenuiſſime Princeps,

Quem penes arbitrium eſt &
vis & norma nocendi.

Quamvis enim Lucius Sici-

nius,qui ſub Caeſare Julio ſtipendia meruit, centies & vicies in acie pugnaverit, ſpolia triginta ſex de hoſte reportaverit, ex provocatione octo occiderit, quadraginta quinque vulnerum cicatrices pectore, ſed tergo nullum oſtentaverit, tecum detecto capite loqui cogeretur; millies enim in campo Venereo dimicaſti cum doloſis & rapacibus lupis, Nympham ſilveſtrem ſubegiſti, mille itidem retuliſti vulnera ipſo loco pulcherrima, fronte, naſo, palato, gutture, inguine pene, teſticulis, tibiis, aliiſque corporis partibus, ſed tergo nullum.

Si priſcis temporibus vixiſſes, tecum peltata Amazonum Regina ad oſtentandam forti-

fortitudinem ſuam , neglecto Hercule,dimicare petiiſſet,aut, ſi prudentior , maxime Alexander ſecunde , ad producendos heroës te non ferreis armis, ſed carneis provocaſſet , ac concumbere vehementer arſisſet.

Cedat & tibi impius , licet fortiſſimus(teſte Poëta 1. Aen:) in Grajis Diomedes , hic enim nefario auſu molliculam Veneris manum vulneraverat ; tu contra Haſtate Imperator , etiamſi frequenter cum ipſiſſima Venere congreſſus es , non læſiſti , ut ita loquar , cariſſimam Deam , nec letale inflixiſti vulnus , ſed egiſti potius mitiſſimum Medicum , qui ſcabiem ſcalpendo pruritui mederi conatur.

 Miſſis

Miſſis Romanorum Græcorumque militibus inter noſtrates generoſitate nullum tibi ſimilem extare contendo, hi enim pro patria tantum pugnant, & ad augendam crumenam, tu vero pro Dea Venere, & ad perdenda bona paterna, poſthabitis nummis, es ſaga ſecutus.

Pace itaque dictum ſit veſtra, fideliſſime Veneris ſacerdos, & Americanæ luis experiſſime vir, nemo mortalium, nemo te exquiſitius de noſtra oratiuncula judicium ferat; te laudante, exclament omnes *experto crede Roberto*, meque prudenter te hujus patronum legiſſe per Veneris barbam, & Priapi haſtam jurabunt.

Acci-

Accipe ergo, candide Dux, leve hoc munuſculum, non fucato, ſic enim tibi offertur, animo, contra dicaces ejus partes ſuſtine, verum in primis illos contra, quorum liberum ingenium ex rotundo pileo, ſubtiliores & abſtractæ cogitationes ex rugoſa fronte aut conniventibus oculis, majeſtas ex longis ſuperciliis, rerum mundanarum deſpicatus ex aduncis naribus, gravitas ex aſylo pediculorum (barbam vulgo dicunt) luce meridiana clarius fulget, quorum inſuper modeſtia ex taciturnitate, temperantia ex impotentia, vitæ integritas ex veſtibus cognoſcitur, quorum denique omnigena eruditio (ne particulæ ſubtiliores animales in auras abe-

abeant) pallio tegitur & conſervatur, conatus noſtros acriter defendas humillime rogo; ſerviant tibi omnes Veneres ac Gratiæ, æternumque fave

Clienti veſtro humillimo

LULLIO HILARIO
Med. D.

LE-

LECTURIS.

LUdere permiſſum cunctis, ſi nemo notetur
Ore Theonino, nec quem convicia linguæ
Aſpera commaculent, aut pagina bile tumeſcat.
Cernite non ſalſos luſus, ſed labe carentes,
Seria mixta joco, mixta & mendacia vero.
Volvite, ſi vultis, ſi non, has reicite nugas
Poſt terga, aut ante pedes, Vulcani aut tradite flammis:
Quid ſtatis? non ſum laſcivi Doctor amoris,

Nequi-

Nequitiave gravis, tortus non anguis in herba
Conditur, aut quicquid poſſit pia corda movere.
An turbat titulus? fronti ne credite, fronti,
Candida ſub nigra latitant dum pectora veſte
Sæpius, & nitido velantur turpia fuco.

LULLIUS HILARIUS,
Med: D:

AD

LULLIUM HILARIUM

Gonorrhoeae Encomiaſten.

Tempora ſint choreis, moderato ſacra Lyaeo,
Plurima ſed ſtudiis danda, Minerva, tuis.
Nec Venus eſt inter Divas numeranda minores,
Hanc olim juvenes, hanc coluere ſenes.
Hanc arſere Dei, poſitis Mars lenior armis,
Obtulit invictæ maſcula thura Deæ.
Sit rebus menſura ſuis, extrema timeto,
Tutius in media puppis oberrat aqua.
Laomedontiades ter raptum moenia circum
Dardana ab intrepidis Hectora flevit equis:
Laetaque ſe triſti ſolvebant Pergama luctu,
Æmonium ut norant oppetiiſſe Ducem.

Stul-

Stultus erat Doctor, lachrymis qui lumina rupit
Continuis, ridens vanus & ille Sophos.
Hoc volvens animo, longe cariſſime Lulli,
Tempora feſtivis fallis amara jocis.
Pro ſcriptis faveant mitiſſima Numina Bacchus,
Cumque Dionaea caſta Minerva Dea.
Dii faciles ſi ſint, Curios & lude Catones,
Et ſi quis torva fronte ſeverus adeſt.
Nec cures ſtolidæ mordacia verbera linguæ,
Dummodo famoſo crimine vita vacet.
Vivitur his laetum, queis mens eſt conſcia recti,
Queis cordi virtus & probitatis honos.

H: A: S:

M: D: H:

ORA-

ORATIUNCULA PANEGYRICA, SEU LAUS GONORRHOEAE.

AUDITORES PARADOXOPHILI.

QUod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaque membra levat.

Inquit Ovidius & vere: Attendite quas induſtria hominum excogitavit res arte factas, & automata; ni morulis & quietis intervallis ſuſtentarentur brevi ſane attritæ forent & inutiles.

Cogitate functiones, quas in oeconomia animali cotidie ob oculos habemus; langueſceret admiranda

viventium machina niſi defeſſis ſomnus, ſitientibus potus, eſurientibus cibus mederetur.

Neque in munere quotidiano ſolum & qualicunque hujus vitæ genere hoc verum, ſed & in omni ſtudiorum genere eſt perquam veriſſimum. Animi ſane relaxatio non minus ſæpe utilis eſt & neceſſaria ad exhauſtas vires recollîgendas, quam quies, ſomnus, cibus. Ipſe alias in reſtringendis moribus ſatis ſeverus M: Aur: Cato,

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut quemvis animo poſſis perferre laborem.

Hominum ingenium hinc non abſurde cum arcu comparatur, eouſque ut in Proverbium abierit, *non ſemper tenditur arcus*: quod & docet Phoedrus Auguſti libertus in Oeſopo ſuo ludente.

Cito rumpes arcum ſemper ſi tenſum habueris,
At ſi laxaris, quum voles, erit utilis.

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Hi ludi, Auditores præſtantiſſimi, læta ſunt colloquia, riſus, joci, ſatyræ, paradoxa, problemata, fueruntque ſemper remedia, quibus animus labore fractus refocillatur, erigitur, ac firmatur.

Innumera eruditiſſimorum per omnia ſecula & virtute excellentium Virorum recenſeri poſſunt exempla, qui hujuſmodi mentis recreationes non tantum probarunt, ſed & ſibi ipſi conceſſerunt: Homerus, quem ſibi actorum ſuorum præconem exoptavit Alexander ille Macedo, ranarum, & murium pugnam deſcripſit feſſus cantando magni Achillei præclara facinora: Sic Ariſtophanes Socratem ſaltum pulicis metientem introduxit: Lucianus muſcæ encomium, & Eraſmus moriam exaggeravit: Heinſius pediculi laude gaudet: Phavorinus quartanam febrim celebravit, Junius voluptatem, Hegendorphius ebrietatem;

& anonymus quidam ſcriptor Veneream luem nuper erudite laudibus decoravit.

In quibus omnibus ſcriptis, dicam, an ludis, præclara illa nomina non tam quid ipſi ſentirent (uti forſitan nec ipſe impræſentiarum ſum facturus) ſed quid de illis rebus laudabile dici poſſit, adferre tentarunt.

Miram veritati faciem quandoque inducit Sophiſtica illatio, ſubtilis ironia, audax hyperbole: Glauco apud Plautum injuſtitiam laudans alterum quendam ad juſtitiæ laudem provocat.

Horum illuſtrium Virorum veſtigiis inſiſtens Gonorrhoeam celebrabo: audax fateor ſuſtineo facinus, paucis forſitan gratum, plurimis turpe, innumeris inauditum: ſed veluti non deterrent auſteri naſutorum vultus, qui indignabuntur me invitare homines ad id vitii genus; quo nullum eſt indignius, nullum deteſtabilius, ita nec animum auget eorum, quos non parvo nu-

mero huc confluxiſſe video, præſentia, quorum genitores, avi, proavi hac paleſtra emeriti ſunt; illorum enim deſpicatus vix quicquam oberit, nec horum ſavor proderit mihi plurimum, adeo ut par futurum ſit & laudis & convitii pretium.

Itaque ſine affectu, ſine ullo animi motu, abſque peroratione, procul ab omni ſpe favoris aut metu contemptus fontes unde Gonorrhoeæ encomium derivari poſſit, perſcrutabor, quod nemo mihi vitio vertere poterit relicturo quoad cætera liberum omnibus auditoribus judicium.

Id circa etymon vocis & ſynonimiam obſervabimus unico tantum titulo Græco contentam eſſe Gonorrhoeam, eoque tali qui nec adæquate ejus indolem, & vix per tranſennam, ut ajunt, ejus dotes & naturam perſpicuam reddat, procul dubio modeſtiæ de cauſa, bene gnara non nominibus dignitatem, nec titulis rei majeſtatem metiri poſſe: Neque tamen ideo progenie ſcilicet

lue Venerea inferior habenda eſt, glorietur illa (ſolent enim liberi triſtiſſima hac tempeſtate ſuperbia præ parentibus turgere) nomine Latino Serpiginis & pudendagræ, Græco Synphilidis, Indico Paturſæ, Calecutiano Puæ, Hebræo ex quorundam opinione צרעת, canat iſta impudenter de ſe ipſa

Multæ urbes certant de Stirpe inſignis Homeri,
Aſt gentes Veneris de Lue bella movent;
Cantaber, atque Italus, populuſque novo Orbe remotus,
Gallus & inventum me cupit eſſe ſuum.

Attamen Gonorrhoea eodem ſi non majori applauſu ab unoquoque recipitur, faſtuoſaſque Regum Aulas, quod notandum, abſque faſtu perambulat.

Cæterum non nos latet non nunquam à Rhetoribus præmitti quæſtionem an res, de qua dicturi ſunt, exiſtat & in rerum natura reperiatur; longiſſime tamen

men abſit, ut tam certa tam indubitata re tempus, quod ſane præ materiæ dignitate & amplitudine ſatis erit exiguum, teramus: teſtor pleroſque veſtrum, Auditores ſtrenuiſſimi, qui Veneris caſtra ſecuti, Veneris quoque opima præmia ſæpiſſime reportaſtis, vel etiamnum eſtis inſigniti, grata enim nimium hæc Dea eſt, nimium remunerans, quam ut cultores ſuos & aſſeclas ſine debitis meritorum præmiis à ſe dimitteret.

Quid opus mihi pluribus? frontes veſtræ, nutus, riſus, cicatrices, vultus, tot mihi teſtes videntur & firma veritatis indicia.

Si itaque non major obſtaret difficultas in definiendo quid ſit, quam aſtruendo quod ſit, multum me profeciſſe gloriarer.

Tam naſutum enim in hoc ferreo ſeculo reperitur Logicorum genus, & delicatum in præſcribendis definitionis requiſitis, ut nec nimium brevis, nec longa, ſed clara, adæquata eſſe debeat; hinc pru-

dentius feciſſe videar, ſi totam neglexerim, quam ſi mancam & mutilam dando ſuperbientium barbâ pallioque patrum in me iras & indignationes excitem.

Quondam de Elia Lœlia Criſpi tradiderunt, quod nec vir eſſet nec femina, nec androgyna, nec puella, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia.

Majori profecto jure & vere de Gonorrhoea id ego dixerim: Peripatheticorum cohortem ſi rogaveris, pro more ad occultas qualitates te relegabunt & Cimmeriis involvent tenebris; ſi auctoritate & faſtu turgentes Carteſii aſſeclas conſulueris, ſe ejus naturam, qualitates, cauſam, omniaque attributa clare & diſtincte percipere jactabunt, ſed magno hiatu nugas plane & futiles fabulas in medium protrahent, ſuaque mole ruentes ſuppoſitiones non ratione, ſed à poſteriori, ut loquuntur, per milleſimam conſequentiam probandas, &, ni quis hereticus audire mallet, ſancte credendas. Ipſos

Ipſos patientes ſeu potius poſſeſſores hujus pretioſæ gazæ ſi examines, quos & re & experientia ejus eſſentiam perſpexiſſe oportuit; ipſos denique Medicorum libros, illorum enim ad forum hæc materia potiſſimum ſpectat, ſi evolveris, nihil aliud vulgo audies ac diſces præter generaliora quædam acidum plerumque olentia, acidum enim hodie apud illos, qui, ut cum Plauto loquar, in pectore aceti nihil habent, omnium malorum putatur cauſa ferme unica & origo.

Agite vos, queis de corio humano ludere impune permiſſum, privilegiis ſubnixi tortores, dicite unde tanta moles, & incredibilis per totos annos materiæ fluentis quantitas ſæpe cum magna ſæpe cum parva virium jactura? unde, uti ſubitus aut tardus Gonorrhoeæ proventus, ſic & in his ſubita, in aliis vero tarda curatio, licet ægri ejuſdem videantur conſtitutionis, eandem ſubeant diætam, eademque adhibeantur pharmaca? unde præciſe

viridis, ſeu flavus auro æmulus color, adeo ut ſi induſia illorum, qui Gonorrhoeam melioris notæ poſſident, ſedulo inſpexeris, Jaſonis aurẹum vellus te reperiiſſe jurares: dicite unde tenſio tam rigida, quæ nulla arte imitari poſſit, niſi forſitan quis alter Paris tres pulcherrimas Deas in vallibus Idæ nudas, & de formæ præſtantiâ certantes intueretur.

Cavete tamen, quod Gonorrhoeae naturam non ſatis perſpectam dixero, cavete, inquam, ne ob hanc rationem minus æſtimandam, imo vituperandam credatis: e contrario ideo admirandam, plurimi faciendam, & maxima cura cuſtodiendam eſſe concludite: admiramur enim res ignotas, ſtupemus inconditas, novæ allubeſcunt.

Eſt etenim cunctis novitas gratiſſima rebus.

Res a longinquis oris ad nos delatas magni ducimus, herbas exoticas reſpicite ſitu ſquallidas, vermibus exeſas, viribus exhauſtas, Barbarorum

rorum veſtes, arma, ſupellectilem, aves, quam impotenter expetimus, quam prodige amamus, quam ambitioſe poſſidemus!

Ecquid ergo dubii remanſit, Auditores optimi, ſi & hanc noſtram Gonorrhoeam non tantummodo novam, ſed ex remotiſſimis terris ſummis laboribus & periculis ad nos tranſlatam evicero.

Præſtantiſſimus ſui ævi hiſtoriographus *Petrus Chieza* paucis verbis & occaſionem & paternum ſolum, & nativitatis tempus noſtræ Gonorrhoeae meminit: *Chriſtophorus*, inquit, *Columbus novæ Indiæ repertor Platonis auctoritate in Timæo, & Senecæ in Medea, ubi de novo Orbe vaticinium proferunt excitatus negotium a nemine antea tentatum, Philoſophorum tantum ſcholis notum ſuſcepit, & anno ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo ſecundo perfecit.*

- - - - non viſa prioribus annis
Inſula dives opum, cultuque immanis agreſti,
Quam lucri ſtudium, rerumque cupido novarum

Pri-

Prima ſub extremo conſpexit ſole
cadente.

Non immiſcebimus nos liti, Auditores humaniſſimi, quibus æterna gloria tantæ novarum terrarum inventionis debeatur, num *Chriſtophoro Columbo*, an *Americo Veſputio*, num *Jodoco Principis Walliæ filio*; ſuffecerit enim nobis non controverti de Gonorrhoea ex America oriunda, & à *Chriſtophoro Columbo* tanquam rariſſimum inventum in Europam tranſlata.

Præſtat verbo notaſſe diſcrimina, quæ hi homines ſpe fulgentis lucri perpeſſi ſunt, ut & inde Gonorrhoeae noſtræ conſtet dignitas & præſtantia; canat Poëta,

- - - - divitias avidus ſine fine
parandi
Impiger extremos currit mercator
ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per
ſaxa, per ignes.

Pro coeli mariſque Numina! qualia non paſſi in detegenda America Heroës illius temporis! Aëris ventorum-

torumque iras, infamem naufragiis pelagum, peſtes, infeſta latrociniis itinera, terras aſperas, ſteriles, incultas, homines indomitos, anthropophagos.

Proponite vobis tempeſtates invictiſſimi Æneæ, dum

Ilium in Italiam portat, victoſque Penates.

Addite tandem infinitas calamitates, quibuſcum luctatus Jaſon Theſſalus aureum vellus ex Colchide reportans, milleſimam partem vix babebitis durorum laborum, quos in itineribus ad Americam ſuſceptis, & perſcrutandis novæ terræ productis, gazis, gemmis, & Gonorrhoea nullo pretio ſolvendis nobiles ſuperarunt Hiſpani.

Ne reponatis, Auditores humaniſſimi, inter omnium prima inventa Gonorrhoeam recenſendam non eſſe; damus enim hoc libenter ſpeculativis, uti vocantur, ingeniis, cum probabile ſit, detectis aurifodinis, aliiſque pluribus pretioſioribus rebus, Gonorrhoeam argonau-

tis

tis conceſſam in remunerationem præteritorum laborum , ſignum victoriæ, atque coronæ vicem ſuſtinuiſſe.

Hoc tamen audacter affirmavero, omnium rerum, quas in haſce terras tranſportarunt, Gonorrhoeam fuiſſe optimam pariter, ac deſideratiſſimam, quod utrumque, uti veriſſimum, ita probatu erit facillimum.

Optimam fuiſſe docet modus, quo cuſtodiebatur, cum has oras, vetereſque repeterent Penates: Merces enim vel pretioſiſſimæ doliis, vaſis, linteis incluſæ ventri navis mandabantur; hæc ſola Gonorrhoea quaſi *vade mecum* argonautis erat, &, ne minima afficeretur injuria, corporibus alligaverant parati cum illa animam efflare, omnia ſubire pericula, & experiri eandem fortunæ ſortem.

Deſideratiſſimam quoque fuiſſe zelus evincat glorioſiſſimi ac Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Caroli octavi. Quot ſumptus, quantos ap-

pa-

paratus, quales moleſtias, pericula, diſcrimina, ut hac ſola potirentur ejus ſubditi & milites, non eſt perpeſſus!

Ambivit non per legatum, ſed exercitum; non oblato pretio, ſed armis; non a finitima, ſed remotiſſima gente; non per Ducem aut Imperatorem, ſed ipſe tam munificam, tam amatam, tam deſideratam rem petiit: regnum relinquens plurimas regiones peragratur, magnoque nobilium comitatu ingentibuſque militum copiis Neapolin Gazophylacium hujus admirandæ novitatis obſidet, angit, expugnat.

Neque hæc omnia, ut imperii ſui fines eo uſque proferret, abſit, Auditores, ut enim invaſit, ilico amiſit; unica vero victoriæ, quam hic reportavit, palma præmiumque toties laudata Gonorrhoea fuit, quam fideliter aſſervari curavit, in regnum deferri, hac ſubditos ſuos exornari, qui deinceps (ſolent enim munifici eſſe Galli) cum omnibus terrarum gentibus communi-

carunt,

carunt, adeo ut jam nota ſit

- - - *qua ſidus currit utrumque.*

Nec minoribus meritis, quam ipſe Carolus, jam ante ſibi devinxerat Chriſtianum Orbem Ferdinandus Catholicus, qui infidelium Saracenorum millia non modo aut delevit, aut in Africam compulit, ſed & ſubditos ſibi in Occidentis plagas navigare permiſit, ut nobilem Gonorrhoeam cum tota familia ſalvam per mare traducerent in Italiam, adeoque Europam ſpurcitie omni exuit, pariterque Venereis dotibus æternum decoravit non modo, ſed & novum Orbem cum incolis ac theſauris à Pontifice Romano regnorum partitore maximo accepit dono, ſeu potius tanquam vectigal pro noviter advecta Gonorrhoea.

Hæc Gonorrhoeæ incunabula, ortus & patria; jam ad nativitatis tempus properemus: vos modo, Auditores præſtantiſſimi, aures faciles mihi præbete, & benevolas, pro qua benevolentia vos vel chor-

data

data Genorrhoea digniſſimos ſum judicaturus.

Annus agebatur ſupra milleſimum & quadringenteſimum nonageſimus ſecundus, quo hæc tam pretioſa gaza Neapolin advehebatur.

Hoc nimirum ſeculo appellere neceſſarium fuit, hoc ſane quo complures Equeſtres ordines aurei Velleris in Hiſpania, Sti. Mauritii in Sabaudia, Sti. Michaëlis in Gallia, Sti. Georgii in Hungaria inſtituebantur, ut Neapolitani nobiles cæterum equeſtri ordine deſtituti hac nova Stæ. Veneris dignitate, nulla Principum gratia, ſed propriis meritis reportata, omnes prædictos equites antecellerent.

Maximum certe lucrum Gonorrhoeae fuit inventa pyxis nautica, quod & huic ævo debetur, & abs qua tranſvehi minime potuiſſet ex America in Europam incognita ante Gonorrhoea.

Quid? quod & divina ars illa Typographica hoc ſeculo innotuit,

qua nihil commodius Gonorrhoeae noſtræ, ejus enim beneficio brevi tempore, parvis ſumptibus novum hoc miraculum patefactum fuit univerſo Orbi.

Eodem quoque ſeculo nullum convenientius noſtræ Gonorrhoeæ, quo tot præclara in Orbe erudito reperiebantur nomina, exoptari potuiſſet, quo literarum ac doctrinarum ſcintillæ in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, & Britannia viſæ ſunt. Hoc denique ſeculo, quo variæ per omnes Europæ partes exortæ & fundatæ erant Academiæ, hæc tam ignota, tam nova, tam rara Gonorrhoea maximam ubique diſputandi materiam ſuppeditare valuit & debuit.

Divinitatis Doctoribus (ſic ſe vocitabant iſtius temporis ſtupidiſſimi Monachi) ſat grave dubium moveri potuit, an canis ille, qui lambendo emplaſtra ſui domini primo Gonorrhoea, poſtea vero lue infecti eandem contraxerat, & inde uti Veneris martyr occubuit, poſt mor-

mortem canonizari meruerit à canina gente?

Juris Conſultis quoque admodum ponderoſa quæſtio nata videbatur, an, ſi quis inſcius, in concubitu quempiam Gonorrhoea ditaſſet, rem ipſam, num id quod intereſt poſſet repetere, & qua actione, ex donato, condictione indebiti, furti, rei perſecutoriæ ex quaſi contractu?

Aſtronomis, an, poſito in Ariete & Piſcibus ſtellas habere virtutem generandi, hinc neceſſario ſequatur Gonorrhoeam, æque ac Venus ipſa, coelitus ortam, & quidem propter Saturnum exiſtentem in Ariete?

Humaniorum literarum cultoribus, num ante detectam Americam hæc gaudia Europeis incognita vere fuerint?

Phyſicis, an, uti Gonorrhoea maſcula reperitur & feminea, etiam Hermophroditæ exiſtant, quæ de utraque natura participant?

Ethicis, an ſine proximi offenſione licitum fuerit Gonorrhoeæ poſſeſſo-

ri propria manu ſibi haſtam amputare, ne, hac ſuadente, omne peculium dilapidaret, ejuſque uxor & filiæ inedia perirent, in primis ſi nova Gonorrhoea deperdita, aliam comparare ſibi vellet?

Politicis, an Gonorrhoea nobilitati, ſi exerceant mercaturam, vel ad vile aliquod vitæ genus ſe conferant, dignitatibus, privilegiiſve excidant?

Mathematicis vero, an particulæ Gonorrhoeam conſtituentes ſint figuræ quadratæ, rotundæ, oblongæ, cylindricæ, & ita porro.

Chymicis, an eædem particulæ ſint præciſe alcalicæ, acidæ, muriaticæ, an alterius naturæ?

Architectis, an fabricata ſit Gonorrhoea ſecundum methodum Tuſcorum, more Dorico, Ionico, Corinthio, an vero compoſitæ ſit artis? quod ultimum credunt complures Medicæ rei cultores, non ego: ex commixtione & compoſitione ſanorum ſeminum diverſæ quamvis naturæ, contagioſum

ſum quid exoriri hactenus probavit nemo.

Medicis denique, an in mixtura diuretica ad Gonorrhoeam cautius, eruditius & melius præſcribatur vehiculi loco Aqua Matricariæ an Aqua Pulegii?

O! delicata quæſtio, utinam jam tunc deciſa foret! noſtris ſane temporibus ad enſes & gladios, non ventum fuiſſet tam animoſe inter binos Apollinis Sacerdotes, ut, niſi Pharmacopoei miniſter piſtillo majori interveniſſet, in Apollinis honorem, & ægrotantium ſalutem unus, aut alter, aut forte ambo egregio edito certamine cecidiſſent.

Verum non tantum hoc ævum, ſed & præfatus annus Gonorrhoeæ valde proficuus, immo nullus opportunior nònageſimo ſecundo dicti ſeculi, quo Innocentius Octavus obiit, & Alexander Sextus Petri ſede dignatus eſt; ambo Pontifices luxu, otio, gula, ludis & ſuperbia famoſi, quibus Mæcenatibus Gonorrhoea pelagi injuriis

quaſſata in ignotis terris optime refocillari poterat.

Memorabilis hic annus Europæ extitit, feliciſſimus in eo tum Eccleſiæ tum Politiæ ſtatus: hereticus Orientalis Bajazethes titulos Stæ. crucis, ferrum lanceæ, & manus Joh. Baptiſtæ tres adorabiles reliquias Romano Pontifici obtulit: verum Occidui infideles & ſuo officio functi Politicoſque nobiliſſima Gonorrhoea donarunt, quam in æternam munificentiæ memoriam, jam nunc poſſident, ſervabuntque venturi nepotes.

Quis itaque mecum non irridet quorundam virorum in Orbe erudito, cæteroquin ſatis excellentium irritos conatus, queis noſtræ Gonorrhoeæ præſtantiam, laudem, dignitatem a longa temporum ſerie, & ultima antiquitate æſtimandam eſſe contendunt, & ἐξ ἐτεοβουταδῶν ἑλκεῖν τὸ γένος ab Eteobutadis genus ducere, aut, quod Statius de Arcadibus,

Ante

Ante ortum lunæ, ſtellis lunaque
priorem,

Identidem clamitant: hac lepræ nomine ipſos Iſraëlitas, hac Davidem Regem, hac Jobum miſerrimum impetitum fuiſſe, ac poſt luem contraxiſſe acriter defendunt; ferventiores ipſum ſapientiſſimi Regis effatum, *nihil novi ſub coelo eſſe*, in partes vocant; alii neſcio quibus Homeri, Hippocratis, Galeni teſtimoniis nixi jam inde a diluvio in omnibus mundi plagis ad inſtar ſacrarum: & cariſſimarum rerum cuſtoditam inſciæ plebi obtrudunt.

Fracaſtorius ulterius progreditur, & pro ſua auctoritate determinat hanc

Non ſemel in terris viſam ſed ſæ-
pe fuiſſe
Dicendum, quamquam nobis nec
nomine nota
Hactenus ulla fuit.

Erraſtis, cum pace veſtra id dixerim, clariſſimi viri, nec antiqua eſt Gonorrhoea, nec ad laudem facit antiquitas: an Americanis jam

ante ſecula innotuerit in medium relinquendum opinor: ſufficit nobis novam eſſe, anteaque incognitam Europeis, Aſiaticis, Africanis.

Scuppium conſulite de uſu & præſtantia nihili, ibi invicte demonſtrat, non ideo rem bonam fore, quia antiqua, *alias diabolus foret optimus, quia antiquiſſimus.*

Addite quod præadamitæ hominibus antecellerent, & præſtantiores forent vel nobiliſſimo quoque; præadamitæ, inquam, non ficti, quos impius Peirerius nobis obtrudere tentavit, ſed veri & longa barba excellentes hirci ante Adamum ipſum omnium mortalium patrem creati.

Fuit is aboletæ ætatis Rhetorum error, qui haud poſtremum rei ex genere demonſtrativo tractandæ argumentum petebant ab ejus antiquitate, altiora jam ſapimus, antiqua ſi foret Gonorrhoea vituperanda, nova cum ſit, laudanda eſt.

Vilia

Vilia ſunt nobis quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quicquid ſpectavimus olim:

νεωτερίζειν omnes volumus, ἀρχαΐζειν nemo.

Grande eſt quicquid novitatis ſpecie ſe commendat, hoc ſeculi noſtri recreatio & deliciæ.

Reſpicite mecum, Auditores generoſiſſimi, quoſcunque generis & dignitatis literatos, ipſos univerſitatum Profeſſores, ac ſcientiarum Principes, vix unus reperitur, qui non aliquod novum ſyſtema ex cerebro ſuo fabricet, ut placeat, antecesſoribus cunctis præ ſe contemptis (illis nempe cucurbita pro capite fuit) *novitate*, de nomine ſuo ſtudioſi baptizentur, & ut arrideat fervidæ juventuti; laudabile ſane inſtitutum, ſi indagandæ veritatis, non gloriæ ac laudis amore agerentur, & unice laborarent, ut in ſtudiis promoveret ſtudioſa juventus.

Palliatos ſacri ordinis antiſtites, cum novare vix audeant, novo con-

dimento antiqua proponunt, hinc tot libri novarum methodorum, non vero rerum, titulo commendati, ſoloque ordine a priſcis diverſi.

Togatos juris Antiſtites quod attinet, quis ignorat hos totos ſteriles & incultos legum campos Politicis obtruſiſſe ſpecioſo *Novellarum* nomine.

Animalia gloriæ, Philoſophos innuo, ſi conſulueris minimus illorum novitius altum ſapere volutans heroico impetu vel ipſo Hercule digno ſupplantare audet maximos priſcorum temporum σοφίας heroës.

De artis Apollineæ cultoribus quid dicam? mitto circumforaneos illos clynicos & triobolares medicos, qui victum quærendi cauſa tanquam Eremitæ illuſtriſſimi ordinis Sti. Jacobi Belgicam noſtram petentes, ut melius ineſcent homines, credulamque plebem & novitatis amore flagrantem addictam habeant, præexcellentiſſimo ſe mox muniunt titulo plerumque a natali ſolo deſumpto utpote patriæ ſplendore

dore potentiſſimi gigantes.

Unus ſe Medicum Hiſpanum gloriatur, alter Teutonici, aut Helvetii Doctoris nomine gaudet, is Anglici aut Romani titulo tumidus ſe unicum Apollinis filium clamitat, ille vero Gallicus dici ardet, etiamnum Normanni Medici nomine inſignem Amſtelodamum videt, amplectiturque plures Judaicos ſeu Hebræos, novimus & Æthiopicos, Ethnicos, Mahumedanos.

Tranſeo etiam ineptos ſui æſtimatores, qui fumoſo Archiatrorum nomine, quales Germania fertilis illa dignitatum mater & cornu-copia titulorum ſuppeditat, ſuperbientes ſe ſeptimæ coctionis ſaccharum clamitant, cum ſunt vel ingenii hebetudine miſerrimi, vel adminiculorum ope deſtituti, vel ſumptuum impenſis deterriti empyrice nobiliſſimam artem tractantes, nilque minus faciunt, quam rerum abdita perquirere & *nova* haurire ex Democrati puteo, dum ſe naturæ curioſiſſimos gloriantur, ac nihil curioſum

rioſum longa temporum ſerie in lucem protulere præter nomina curioſitatis, & certiſſima jactantium ingeniorum ſpecimina.

Prioribus haud longe præſtantiores, quamquam legitimis Academiarum ſpoliis ſuperbi, qui biduo, annuo, imo minori temporis ſpatio ita ſtudia perfecere, uti canes ad Nilum lambendo ſitim pellere conſueverunt, & neque humaniorum literarum notitia, neque naturalium, neque Mathematicarum rerum ſcientia imbuti, reliquarumque artium ac fundamentorum omnium egeni, cataplum doctrinarum, & univerſæ eruditionis ſupellectilem domum reportaſſe creduntur, cum nullo nomine niſi *nova ſtudendi methodo* commendabiles ſint Medici.

Utinam pleroſque alios rei familiaris cura tantum non obrueret, ut communis rei cultura ab ipſis plane negligeretur!

Sunt tamen, Auditores humaniſſimi, quibus odor culinæ non om-

omnem gloriæ olfactum abſtulit; benigne ſentiam, verius forſitan dixero, qui, ut crumenam lautius curent, non modo vetularum, obſtetricum, nutricum & ancillarum favorem in dedecus ſuæ artis ſibi conciliare omni vi laborant, ſed & ægrotantium ſpei ac vitæ blandiuntur ſpecioſo *novitatis* titulo, non noviter detectis remediis, ſed plane novis, barbariſque nominibus, & quæ nemini intelliguntur; *tantus apud omnes novitatis amor.*

Atqui hæc minima pars illarum artium, qua hoc hominum genus decumbentium animos ita ſibi alligare cupit, ut nunquam fuerit ad Caucaſum aliter Prometheus. Sed e diverticulo ad viam.

Itaque non patria tantum, non opportunum modo naſcendi tempus, non annus, verum ad laudem ſummopere quoque facit egregio genere & ſexu cenſeri, ſi a parentibus filii filiæve degeneres haud exiſtant.

Agite itaque, Auditores nobiliſ-
ſimi,

ſimi, Gonorrhoeae noſtræ illuſtrem originem ac ſtirpem perſpiciamus.

Nihil eſt quin narrando poſſit depravarier, inquit Terentius, id cum primis oſtendunt illi, qui Dea natam confitentes iniqua fabula ejus genealogiæ gloriam commaculant.

Nimirum volunt Patrem Neptunum non læto conto, ſed viridi tridente, non laſcivo amplexu, ſed repentino impetu Veneris ſalſam fontem & montem perforaſſe, læſiſſe ac vulneraſſe, pariterque viride ſtillicidium non amoris illecebris, ſed odii vindictis excitaſſe, magis ut ejus procos fœditate deterreret, quam amœnitate invitaret; idem enim ſentiebat moroſus ſenex, quod Ovid: Libr: 1. Eleg: ſuaſit,

Ah! tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.

Scilicet ſpecioſa Dea de Saturni exſectis teſtibus ſpumaque maris progenita grande nefas commiſiſſe putabatur, decrepitumque Neptunum deſpiciens, aut Adonidis amore inflammata cærulei Dei regna, non tan-

tantum abſque conceſſis baſiolis, ſed & inſalutato hoſpite clam reliquerat; hinc illæ lacrymæ, hinc abortus nefandus!

Nos quod attinet, benignius de Gonorrhoea noſtra ſentimus, non adultera ſed genuina alati Cupidinis ſeu Amoris proles, non degener, non ſpurius foetus ſed legitimus, & patri ſoboles quam ſimillima extat.

Attendite mecum utriuſque naturam, indolem, ſingulares utriuſque proprietates: Amor melle & felle abundat, ita & Gonorrhoea: Gonorrhoea ſollicita apud plures, apud alios curarum expers, idem Amor: Amor ſævus & blandus, ſic & Gonorrhoea: Gonorrhoea ſæpe occulta, ſæpe aperta, uti & Amor: Amor jucundus & miſer, quod & Gonorrhoeæ proprium eſſe putate.

Imo cum reliquæ res omnes a contradictione abhorreant, & contrarietate pereant, tantum Gonorrhoea cum parente ſuo Amore de ſe diverſiſſima & pugnantia pronunciari ſinit: Præterea uterque & uti-

lis

lis & damnoſus, & tam acquiſitu quam curatu facilis & difficilis; quod Gonorrhoeam poſſidentibus Mediciſque ſufficienter innoteſcit, ſine dubio & vobis, Auditores expertiſſimi, qui me veſtra præſentia ornatis.

Materno quoque genere Gonorrhoea claret, utpote Dea Concordia oriunda, & tam animorum quam corporum conjunctione, mutuoque Amore prognata; hinc eſt quod prolem ſuam luem Veneream, in parentum memoriam Syphilis ex σὺν cum & φιλία baptizari curaverit.

Haud longe a noſtra ſententia abeſt maximum illud Veronæ decus artiſque Apollineæ jubar (cui non ingrati cives marmoream ſtatuam poſuere) Henricus Fracaſtorius, cum Amicitiam & Concordiam Gonorrhoeæ noſtræ parentes deſignaverit: Fallopius quoque Princeps Medicus Concordiæ & Amicitiæ Venereæ partum Gonorrhoeam vocitat, utpote quæ ex conjun-

conjunctione inter homines oborta fuerit.

Interea vos monitos volo, Auditores optimi, me hic ſermonem habere de illa Gonorrhoea, illa omnium parente, non vero de veſtra, aliorumve, ſed quæ ex America orta multiplici prole univerſum poſtea locupletavit Orbem.

O! ter felicem, o! illuſtri ſtirpe nobilem Gonorrhoeam, o! præclaram ſobolem tantis majoribus omnium Deorum, ne Jove, Marte, aut Hercule exceptis, fortiſſimo Cupidine, & Concordia cunctarum ſocietatum, imo & Belgicæ noſtræ utiliſſima Dea genita, cujus, opto, auxiliis longiſſime ſtabit contra Gallorum perfidiam ſanguine empta libertas.

Quis vim Concordiæ, quis utilitatem Amicitiæ comprehendat? non ſuave eſt quicquam, ubi Amor non admixtus, nil conſtans ac diuturnum, deeſt ubi Concordia, omnia enim, quæ in rerum natura, ſpatioſoque terrarum Orbe perſtant,

Amor contrahere ſolet, conſervatque Concordia.

Innumera hic adjungere poſſem, Auditores optimi, & ſtupenda narrarem de Gonorrhoeæ noſtræ origine, modo Goſpanum Torollam, Joannem Almenarium, alioſque ſeveros Hiſpanos teſtes vocare vellem, ſed obſtat Politicorum axioma *hoſtibus non eſſe fidendum*, atrociſſimum enim nobis bellum cum Hiſpanis eſt, quale fuit

Hectora Priamiden animoſum atque inter Achillem.

Vanum ergo videretur eorum Doctoribus nos duci, illorumque auctoritate fulciri.

Cogitatis forſan, cæca tantummodo naturæ ſors eſt, huic vel illi (aliæ ni dotes adſint) mage aut minus illuſtri progeniei ortum debere, propriis virtutibus inclareſcere præſtat, quam majorum imaginibus fulgere: Recte itaque Juvenalis Sat. 8.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo

San-

Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Aemilianos?
Quis fructus generis tabula jactare (capaci
Fumoſos equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male vivitur?

Nec hac in parte deficit omni encomio digna Gonorrhoea.

Modeſtia ſane incomparabili ſplendet, non gloriatur, nec, uti jam antea innuimus, titulorum copia ſe exornari ſinit: præ primis tamen humilis reperitur, chordata, quæ revera cordata eſt, nil obſtante ejus modeſtia, ſemperque reſpiciens terram vix caput attollere geſtit. *Nec inani laudis amore tangi-tur*, ſed ſolitudinem amans latere cupit cum ſuis affeclis.

Conſtantia quoque haud parum eſt commendabilis, non votis flectitur, non minis movetur.

Quid? quod & *fortiſſima* merito audit, ipſos ſui victores in triumphos ducit, dominis ſuis domina-

tur, & ſæpius ad imperata cogit medicamina, præſcriptamque diætam.

Humanitate quoque haud parum conſpicua reperitur, æque enim benigna eſt in humiles, gentem infimæ plebis, ac Principes, magnates, ita ut, ſi verum ſit, uti eſt veriſſimum, *quod omne bonum communicativum ſit ſui*, neceſſario concludendum nobis omnium bonorum optimam eſſe Gonorrhoeam.

Liberalitate præſtantiſſima revera extat, ſe totam amicis communicat, quodque mirabile, nihil amittit, ſed in eadem perfectione, qua antea fuerat, obdureſcit.

Adeo præterea *honeſta* eſt, Auditores, ut nunquam ſpurium protulerit, & non niſi parentis legitima extiterit proles; ſed ejus honeſtatem olim latius ſumus celebraturi.

Fertilitate nemo Gonorrhoeæ par eſt; breviſſimo temporis curriculo plurimos ſibi ſimiles profert, cum omnibus parentis liniamentis & dotibus, ita ut in hac parte fertiliſſimos,

mos, quales rotundi, exſuperat pediculos, quibuſcum tamen æternum colit fœdus, & non fucatam inivit amicitiam, cum e contrario reliquis mortalium morbis infenſiſſima ſint bellicoſa hæc animalcula, illoſque tanquam peſtes fugiunt, averſantur, contemnunt.

Quodque incredibile prorſus primo intuitu videtur tam fertilis in multiplicando ſuo genere Gonorrhoea prædicatur, ut ſola & una ſufficiat, ſeu maris ſeu feminæ ſit, ad ſimilem ſibi foetum procreandum, & ut ſine ulla captione, æquivocatione, aut mentali reſervatione vere dicendum, *Gonorrhoea Gonorrhoeam gignit.*

Fertilitatem inſuper prolis multitudo ſufficienter comprobat, Gonorrhoea enim præter Veneream luem, & Gonorrhoeam, varios filios filiaſque feliciter enixa eſt, Bubones puta, teſtes Veneris, intra penem Carunculas, extra Cancrum, galli Criſtas, Paraphymoſin, Verrucas, (Indicas margaritas quan-

doque ſimulant) Condylomata, vidimus & pellucido mento gravitatem præ ſe ferentes haſtas.

Quis itaque, Auditores optimi, mirabilem Gonorrhoeam non cum Phoenice rariſſima illa ave, ſine pari, & à Regibus ipſis vehementer deſiderata comparari poſſe fatebitur, imo anteponendam eſſe contendet? Phoenix quippe multo ſudore rogum ſibi ſtruit, ſummo cruciatu & flammis mortem oppetit, ut relinquat ſibi in mundo ſimilem; cum contra Gonorrhoea noſtra jucunda methodo,& cum voluptate in vivis ſuperſtes manens ſimili lætatur prole, & quanta fuit, poſtea permanet.

Incredibilis ſane quibuſdam in rebus naturæ luſus (quod in tranſitu notandum putavimus) Gonorrhoea ſcilicet maſcula in lucem edit ſemper femineam, feminea contra ſemper maſculam.

O! ſtupendum naturæ miraculum! vel hoc ſolo nomine miratu digniſſima Gonorrhoea cenſenda venit: quantæ in nundinis publicis

non

non corraduntur pecuniarum ſummæ oſtentatione hujus, vel illius naturæ defectus! conſiderate itaque & concludite, Auditores nobiliſſimi, quam lucroſa foret Gonorrhoea, quamque avide, prompte, liberaliter, cujuſcunque generis, ordinis, ſexus, ætatis, conditionis advolarent homines hujus tam novæ, non monſtri, ſed tam ſtupendæ rei videndæ gratia, ſi ſe nudam curioſorum oculis objectaret.

Generoſa vero nimium, atque contenta ſui Gonorrhoea eſt, quam ut poſſeſſores tam turpi & infami lucro redderet ditiores: alio modo eoque magis honeſto, ac nobiliori ſibi ſubjectos locupletare conſuevit, nimirum quod ipſos doceat parcimoniam, hinc opulentum vectigal, & maximum lucrum reſultare oportet.

Vix imo vix quiſpiam ſacris Gonorrhoeæ initiatur, ejuſque inter cultores recenſetur, quin ilico ſcortis, popinis, ganeis, nepotulis abſtineat atque iſtis omnibus

valedicat; non ejus juſſu, ſumptuque pretioſiſſima comparantur unguenta, ut ſuæ Phillidis in conſpectum prodeat comptior; non deauratis rhedis hinc inde per publicas vias ſpectatum vehitur, ſed per cubiculum obambulat ſolus: non nummos expendit ad quaſvis delicias aut exquiſitas raritates congerendas, quibus Amaſiæ ſuæ favores ſibi conciliare poſſet: non magno pretio alliciendæ ſunt vetulæ, lenæ, aut ſimile juventuti perniciosum hominum genus, ut vix apertum virginitatis florem decerpere liceat.

O! nimium ac nimium potens Gonorrhoea, tu pompam & faſtum perdomas! tu voluptates continere, tu laſcivas frænare cupiditates, tu prodigos ad parcimoniam utiliſſimam cogis!

Sed non fortunæ tantum bona benignitate Gonorrhoeæ cumulantur, ſed & corporis reſtaurantur, augentur.

Paradoxum vobis videbitur, Auditores humaniſſimi, *Gonorrhoeam corpo-*

corporis promovere commoda, cum omni exceptione major hæc inconcuſſa vobis ſtat ſententia, *morbum imo graviſſimum morbum eſſe Gonorrhoeam:* ſed pace veſtra ſit dictum, non tam morboſum, quam dolorificum quid eſſe, & moleſtiam tantummodo adferre minimam.

Immane quantum hæc differunt? titillatio non morbi ſed doloris ſpecies eſt, & ipſe dolor ſæpe tantum morbi ſumptoma, ſeu potius effectus, qua tamen titillatione omnis voluptas abſolvitur; fames, ſitis, pruritus incommoda ſunt, nec tamen edendi, bibendi, actuumque Venereorum uſum ideo minus neceſſarium quiſpiam dixerit: defloratur virgo & dolet, nec tamen morbificat: cur eadem ratione catamenia ſeu menſes, qui mulieribus fluunt, non aſpernatis, cum foedi ſint? cur dentium ortus non contemnitis, dolores enim concomitantur & cruciatus? partus quibus miſerrime ſæpius conflictantur amatæ uxores, cur non odio habetis, quod vix tolera-

biles dolores cauſant? aliquid amari amore miſcetur, ſolus tamen amor animi tranquillitatem mortalibus procreat, & abſque eo nemo placidam tranſigit vitam; hinc eſt quod feminæ prudentiores hac in re præ maribus; ſi homines amandi occaſio deeſt, catellos gremio ſuo foveant, paſſeres diligant, pſittacos, aliaſve aviculas & beſtiolas.

Eadem & Gonorrhoeæ ſors eſt; dolor, qui eam concomitatur, aptis pharmacis breviſſime tollitur, & poſt ſe blandam titillationem & voluptatis relinquit plenam, quâ indignos putamus omnes nobiliſſimæ Gonorrhoeæ contemptores, nam

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

Perpendite quæſo naturam evacuantium medicaminum, quamdiu operantur oeconomiam animalis vehementer turbant, adeoque tam diu patientibus moleſtiam creare eſt in propatulo.

Fonticuli vulnera ſunt, ſed ſaluberri-

berrima; ſinus ab ipſa natura producti, hæmorrhoidum fluxus, narium & alvi moleſti, ſed tamen ſæpe proficui, nec ea ſpecie, dolor etiamſi comes, contemnuntur.

Agite itaque, habeat & Gonorrhoea incommoda ſua, nihil reponam, ſed erunt pauca, utiliſſima, jucundiſſima: non affligit clientes lecto uti acutæ febres, non ligat pedes uti podagra, vel totum corpus uti rheumatiſmus, non impedit ſtudia optimarum artium ac ſcientiarum uti lethargus, compluresque ſaporiferi capitis morbi, ſed ſuo linquens hominem ingenio ſanguinem purificat, & decocti majalis vicem ſupplet, adeo ut in primis verno tempore ſalutarem Gonorrhoeam eſſe exiſtimem.

Minime lubet in amplificanda Gonorrhoeæ laude diutius hærere, unicum tantummodo argumentum adjiciam, idque, me judice, validum, omnique exceptione majus, nimirum quod à multis & maximis malis caducum mortalium genus

Go-

Gonorrhoea liberare potis eſt.

Audiamus Hippocratem Medicorum principem & parentem; *optima*, inquit, *corporis conſtitutio periculoſiſſima*: ſed quid remedii? *eadem vel venæſectione, vel catharticis pharmacis pelli, aut anteverti debet*; Gonorrhoeam habeamus, Auditores optimi, non tali auxilio indigebimus; hæc ſine ullis impenſis, ſine ullis remediis ab omni hac cura vos defendet; hæc nimiam illam ſanitatem extemplo refrænabit; hæc ne redeat curam geret.

Neque hoc tantum, ſed & alios inſuper plurimos morbos ipſoſque graviſſimos arcet & expellit; Gonorrhoea ſi minuti & armati antea fuiſſent *Pherecides*, *Herodes*, *Sylla*, myriades pediculorum profligaſſent vel primo conflictu, nec fameſicis his animalculis fuiſſent ſpolia; minimus enim Gonorrhoeæ poſſeſſor, grandiloquo ratiocinante Medicæ rei Doctore, vim mercurialium medicaminum perdiſcit, & aculeatis humanæ cutis hoſtibus reſiſtere valet. Nemo

Nemo omnes, à quibus nos Gonorrhoea conſervat, calamitates enumeret; quod equidem, licet non ſemper accidat immediate, ſed ſæpius per accidens (ut loqui amant Logicorum filii) ad laudem Gonorrhoeæ tamen ſufficit.

Mittemus ergo lepram, quam nemo non horret; peſtem non dicemus, febreſque contagioſas ſilentio tranſibimus; verum ipſas lethi ſorores mecum attendite, hydropem, nephritidem, renum calculum, & veſicæ, quibus vix pejora mala miſeros mortales excruciant, atqui ab his nos liberos reddit, & immunes conſervat Medica illa Gonorrhoea.

Experientiam teſtor, ſummum illud ſolidæ eruditionis fulcrum: anguſtiis vaſculorum urinariorum hæ calamitates ex parte debentur, atqui in Gonorrhoea diuretica ampliores, balſamica laxiores vias reddunt, adeoque in cauſa ſunt, quod particulæ, ſeu viſcidæ, ſeu terreſtres non facile in lapidis duritiem concreſ-

creſcant, cum iis liber extra corpus concedatur exitus.

Gonorrhoeam ergo corporis quoque commodis utiliſſimam eſſe concludimus.

Sed non corporis, non fortunarum tantummodo, ſed & ipſas animi facultates promovet:

Hæc enim homines reddit φιλόμυσους; hæc pios efficit; nemo tam Divorum eſt memor, quam qui à Gonorrhoeæ doloribus detinetur & corrigitur, Turcarum more certis precibus utitur, ſi velit liberari; nullum ipſi exactius felicitatis ſignum videtur, quam hujus ſeculi calamitas; excelſi animi eſſe ſtatuit proſpera pariter atque adverſa ferre, duramque & ineluctabilem neceſſitatem in virtutis ſpeciem convertere; hæc caſtos, hæc continentes eſſe cogit: ubi Gonorrhoea dominatur ilico fugiunt Gratiæ, laſciviæ, Veneres, irritamenta cupidinum: hæc frugales, hæc ſobrios reddit, non juvant Helenæ ferculæ, non flores nectaris, omni luxu & ingluvie abſtine-

ſtinetur, vili veſcitur ac tenui cibo: hæc Medicos gignit perfectiſſimos & ſapientes, doſin præſcriptorum medicaminum, characteres, qualitates, modum exhibendi & operandi, vires herbarum, naturam metallorum in primis mercurialium accurate docet: Penis ſtructuram, omnium partium genitalium, arteriarum, venarum, nervorum, teſtium, muſculorum, deferentium vaſorum & ſeminalium, corporum nervoſorum plurimarumque rariorum rerum mechanicas figuras ob oculos ponit, & uſus enucleat, quæ omnia præ ipſis Medicis quandoque exactius novit ſedulus Gonorrhoeæ poſſeſſor.

Vix credibile eſt, quantum in rebus humanis experientia valeat: fuit mihi amicus integerrimus, & tum Martis tum Veneris miles ſtrenuiſſimus, qui poſt quadrageſimam Gonorrhoeam tam erudite de ejus natura ratiocinabatur, ut primogenitum Apollinis filium juraſſetis; verum proh dolor! pro patria olim fortiter pugnans fatali plumbo infelix cecidit. Sed

Sed reviſamus Gonorrhoeæ patientem, quanta facundia, quanta arte omnia non velat, quid non, ſimulac domi hæret, prætendit, quid non excogitat, quid non invenit, quam ſubtiliter hominum oculos præſtringit, quam vaferrime cauſam ſuam defendit? plures crederent excuſationum materiam à Logicorum ſagaciſſimis vel excogitatam vel fuiſſe inventam.

Advolent compotatores, quam blandis, ac veri ſpeciem præ ſe ferentibus verbis demulcet? crapulam prætendit, vinum deteſtatur, negotiorum montes fingit; illi vitra coronent, invitent, urgeant, inſtent, fruſtra eſt, nequaquam flectitur, Catonis frontem, aut Tecmeſſæ vultum imitatur; rideant, exprobentque *quantum mutatus ab illo*; reponit *omnia ſuum tempus habere*.

Idibus Venerem adorabat, Kalendis Pallada jam amplectitur: qui ipſi animus fuerat in patinis & poculis, jam ipſi eſt in artibus & libris:

Si

Si orat Demoſthenes, philoſophatur Epictetus, concionatur Chryſoſtomus, refert hiſtorias Xenephon, heroicum carmen modulatur Homerus, tragicum Sophocles, comicum Ariſtophanes, lyricum Pindarus, hymnos canit Callimachus; ſatyras Flaccus, elegias Ovidius, amores Sappho, & baſiola ſua Secundus,

Permanet immotus tanquam Marpeſia cautes.

O! miram Gonorrhoeæ vim, & potentiam! nemo queri poterit de otio, Genorrhoeam modo poſſideat, & vere cum Catone dixerit, *ſe minus otioſum eſſe, cum ſit maxime otioſus.*

Quam non *jucundas* occupationes Gonorrhoea ſuppeditat! ſi cohærentiam partium intueri lubet, ſumma ibi cum amoenitate explorat ſingulis horis, an contiguitas major minorve adſit, quod vocabulo artis *nere* dicitur, ac Belgis *ſpinne* audire conſuevit: ſi coloris elegantiam inſpicit, illico gratiſſima oboritur amoris cogitatio, cujus ſymbolum ſemper viriditas: ſi ſtillicidii ſca-

turiginem conſiderat, inexhauſtam admiratur, & infra ſe abjectos cogitat molles pleroſque juvenes, languidos viros, ſenes enermes.

Quid? quod Gonorrhoeæ Dominus ſe Veneris potentem, virum eſſe, ad matrimonium admittendum, ſi velit & virgini placeat, ne *gru* reponentibus legum peritis, invicte probat.

Idem, ſi tenſionis rigorem intueatur, ridebit electuarium diaſatyrionis, pulveres lætificantes Galeni, ſpiritum magnanimitatis, clariſſimi Le Mortii tincturam regiam, imo ipſas ſacras Epidaurii herbas non valentes erigere penem languidum & annis laboribuſve exhauſtum.

Verum non jucunditas ſola Gonorrhoeam commendat, ſed & ejus *honeſtas*.

Triplicem mecum perpendite, Auditores ſtrenuiſſimi, quæ in terris exercetur, militiam *armatam*, *togatam*, *nudatam*: Prima patriam armis defendit, ſecunda loborantium ſpem glorioſa voce ſuſtinet, ter-

tia

tia mutuis amplexibus matriam (ſic enim nunc loqui lubet) protegit, auget, conſervat.

Quod ultimum, puto, & honeſtum, & honorificum eſſe negaverit nemo, niſi Euthuſiaſta, everſor totius humani generis, aut ingratus femineæ gentis contemptor haberi velit.

Si enim in armata militia integrum ſit ejus ſequacibus, non bona tantum fortunæ, ſed & ipſam vitam exponere, idque cum odio acerbiſſimo, vile propter pretium, in alterius ſæpiſſime ambitionis gratiam, contra ignotos, idque impune, cum applauſu & acclamatione: quis, precor, tam ferreus, ut nudatam militiam inhoneſtam dixerit? quis tam inhumanus, ut vitio verterit, ſi qui laſciviæ arma induant non ambitione, ſed ipſa natura ad res Venereas deſtinata, non cum ignota, ſed bene cognita, non lucri ſpe turpiſſima, ſed animi relaxandi ratione, non denique ut perdant mortalium genus, & in proximi exitium graſſentur, ſed ut protegant, multiplicent, & pu-

blicam rem prole adaugeant.

Concludamus ergo *utilem, jucundam, & honeſtam eſſe*, nec hoc tantummodo, ſed & *dignam*, ut illam vehementer quiſpiam ardeat.

Data propter dantem perplacent dixere antiquitus: indigna itaque, haſtati juvenes, Gonorrhoea foret, quæ ab illis provenit, quibus nihil amabilius, gratius, lepidius, puellis ſcilicet, quas præ ſanguine, vita, anima pretioſas judicatis? digna non foret Gonorrhoea, virginum de cauſa, ad quas inde ab ephebis cum ſudore & anhelitu curritis, & adſpiratis, quaſi ſalvi non futuri, ſi abſque amabili illa gente moriamini? illas propter digna non foret ipſiſſima Gonorrhoea, quas nocte dieque quandoque per ignes, flammas, pugnas, & certamina cum ſummo vitæ diſcrimine quæritis & ambitis? Sed ceſſo de his agere latius, video enim vos jam dudum oculis, vultu, manibus, geſtibus, reliquiſque corporis totius membris aſſentientes.

Antequam tamen deſino, nodus mihi

mihi unus, aut alter ſolvendus.

Aliqui forte ſcrupulum movebunt, quod ex illegitima Venere & vetita Gonorrhoea exoriatur, nec ipſe negabo, ſed lubens ibo in eorum ſententiam, non enim promiſcuum belluarum more coitum ſum probaturus unquam; ſed illos tamen monitos volo me non de modo acquirendæ Gonorrhoeæ, ſed de illius indole, natura, quid in ſe ſit, reliquiſque virtutibus ſermonem habuiſſe: Plurimi illuſtres heroës extitêre, qui ex impuro coitu prognati, ideone ſunt encomiis privandi? ſtupendum illud Romani Imperii decus Oct. Cæſar Auguſtus de parente ſuo quiſnam fuerat, dubitaſſe fertur, cujus clementia, fortitudo, liberalitas, eruditio jam nunc in omnium verſatur ore.

Ut brevis ſim, alioſque ſilentio prætaream, Jeftam Judæorum Ducem & vindicem ſtrenuiſſimum ſpurium fuiſſe norunt omnes, virtus tamen ejus & fortitudo maxima in ipſis ſacris paginis prædicatur & extollitur.

Reperiuntur itidem, qui populi rumores & famæ detrimentum ob oculos habent; nimirum, inquiunt, ſi bona ſit, tantiſque nominibus prædicanda Gonorrhoea, atque tot fortunarum & commodorum cauſa, cur omnes tam impenſe oderunt, execrantur, ac deteſtantur? ſed uti fallax inertis plebis animus, ſic fallax judicium, fallax crebius opinio vel ipſius vulgi eruditorum; nec deſtituimur exemplis plurimarum rerum pretioſiſſimarum, quæ ab innumeris male audiunt, licet optimæ ſint, & encomiis omnibus digniſſimæ.

En ludi-magiſtros, & morum formatores; malos aut indignos unquam quis cogitavit? at pueri & adoleſcentes oderunt optimos præceptores ſuos eoſque contemnunt.

Leges præſidium & fulcimentum unicum regiminis eſſe nemo non novit, attamen leges optimæ ab ſceleratis & improbis vituperantur.

Ecquis pharmaca, operationes Chyrurgicas, & iſtius generis plu-

rima

rima mortalium ſocietati non neceſſaria dixerit, atqui horrent innumeri & averſantur.

Quam vellem cum voluptatum Venerearum expertis hanc litem dirimere! at veluti ignoti nulla cupido, ita & nulla ſcientia, illi benignius loquerentur, atque ſentirent, ni forſan labore multo membra ſint fracti, & inermes jam reperiantur.

Equidem ita exiſtimo nihil ad libidinoſæ voluptatis ardorem extinguendum, nihil ad mores juventutis bene formandos, nihil denique ad vitam omnem integre inſtituendam plus conferre, quam Gonorrhoea noſtra conferre valet.

Agite, proponite quoſvis criminum ſtimulos, imo fingite *luxuriæ* currum foede, ſed vivide tamen à Divo Bernardo deſcriptum; volvatur quadriga vitiorum ingluvie, videlicet ventris, libidine coitus, feminea veſtium mollitie, otii, ſaporiſque reſolutione: trahatur equis duobus, proſperitate vitæ & abundantia rerum omnium, quas pontus

aut

aut tellus gremio fovet: Jungite & alios quadrupedes conſilii neglectum, ignaviæ torporem: fingite monſtrum ingens vel Polyphemo mage horrendum, ſed præſideat Gonorrhoea ſumma illa prudentiæ magiſtra, hæc currum dirigat, hæc habenas flectat, nil vobis metuendum, Auditores, ab indomitis & tot effrenis equis.

Hæc bona decernere & mala, hæc ſero ſapere, hæc conſilio ſua agere, hæc docet recte definire omnia.

Immo quod nec ratio, nec æquitas, nec exemplar, nec longum tempus, nec monita, nec preces,nec ſuſpiria, nec præmia, nec poenæ, quod nec ipſa exhauſtæ crumenæ inopia efficere valuit, id una præſtat potentiſſima Gonorrhoea.

Hic ſubſiſto, Auditores humaniſſimi, minime enim neceſſarium duco, a Rhetoribus recepto more aliqua partium enumeratione aut anatephaleioſi dicta memoriæ veſtræ infigere; attentioni qua me dignati eſtis confido, neque affectus veſtros diutius morari conabor.

Errata graviora ſic corrigantur.

In oratiuncula pag. 2. *lin.* 23. *lege* Phædrus. *pag.* 3 *lin.* 24. *lege* moriæ. *pag.* 5. *lin.* 8. *lege* convicii. *lin.* 18. *lege* Synonymiam. *lin.* 27. *lege* metiri quemquam poſſe. *pag.* 8. *lin.* 7. *lege* Ælia. *lin.* 14. *lege* Peripateticorum. *pag.* 10. *lin.* 7. *lege* quam nullus arte. *pag.* 11. *lin* 16. *lege* memorat. *pag* 13. *lin.* 15. *lege* habebitis. *pag.* 22. *lin.* 6. *lege* hæreticus. *lin* 24. *lege* ἐξ. *lin.* 25. *lege* ἕλκειν. *pag.* 24. *lin.* 5. *lege* Europæis. *pag.* 25. *lin.* 6. *lege* νεωτερίζειν. *lin.* 6. *lege* ἀρχαΐζειν. *lin.* 12. *lege* cujuſcunque. *pag.* 26. *lin.* 19. *lege* clinicos. *pag.* 27. *lin.* 23. *lege* empirice. *lin.* 26. *lege* perquirere. *pag.* 37. *lin.* 2. *lege* exſuperet. *pag.* 44. *lin.* 20. *lege* Pherecydes. *pag.* 46. *lin.* 10. *lege* φιλομούσους.